



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Matrimonium ex metu levi injusto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

metu qui facile repellitur potest, ergo non est caput, unde claudicant.

§. VII. Quid operetur metus gravis, vel levis jussu incussus?

Contractus ex metu levi, vel gravi jussu.

1. Si quando quis, V. G. Petrus minetur alicui, tol-
lere, vel non tribuere id, quod ab ipsius Petri li-
bertate dependet, non cadit in questionem, an per eum
metum contractus quicunque initus valeat: vel et enim
sine controversia. Ita Castro 9. tom. 1. tr. 2. d. 1. p. 7. num. 2.
Sanchez, de matr. lib. 4. d. 5. numero 18. Ita V. G. Petrus
alicui committitur: Nisi contrahas cum mea filia natri-
monium, nequaquam tibi clarior centum aureos, vel tol-
lam a te equum, quem tibi commodavi. Certe matrimo-
nium ex hac comminatione contractum validum erit.
Ratio est quia tunc non jam terretur metu mali, seu pœ-
næ, sed spe præmii, vel mercedis excitatur: spes autem
seu boni expectatio augere, ut supra dixi, voluntarium,
non minuit.

2. De vero igitur metu, sive gravi, sive levi, si sit
jussu incussus ad extorquendum contractum, adhuc di-
co, illum non irritare, sed esse contractum in utroque
jure naturæ, & Ecclesiastico validum. Ita Castro 9. l. c.
p. 10. Sanchez, cit. d. 13. num. 3. Pont. cit. cap. 10. Ra-
tio est, quia radi, unde nullus sit, vel rescindi possit
contractus, est injuria, quæ fiat contrahenti, at nulla
injuria fit ei, qui sibi causa est metus: ergo, &c. quid
enim tibi injuriæ itogo, si dicam: Nisi mihi hoc ven-
das, accusabor te jussu de homicidio à te patratore gratiam
potius à te numero, quippe, tibi propono hoc reme-
dio malum punitionis tibi debita posse non difficulter
effugere.

*Matrimonium ex metu quocunque jussu
incussu.*

3. Quid de Matrimonio? idem esto judicium ex pro-
babiliori sententia, sive metus a lege sive ab alio quo-
cunque proveniat. Ita Sanchez citat. d. 13. num. 3. Pont.
cit. cap. 13. Less. lib. 2. cap. 17. d. 6. numero 41. de Lugo
de justit. tom. 2. d. 22. sect. 7. numero 159. Ratio est, quia
etiam in matrimonij contractu tota ratio illius irrita-
tionis est injuria, quæ fiat in illo contrahendo: at in ra-
tu nostro non fit injuria, ut patet ex numero precedente,
ergo, &c.

Dices, at matrimonium debet esse perfecte liberum,
quæ libertas certe læditur per metum etiam jussu incus-
sum ad extorquendum matrimonium. Respondeo non
lædi injuste, sed jussu; matrimonium autem debet esse
perfecte liberum libertate non laesa injuste, non vero li-
bertate quomodocunque perfecta: sic à Castro Palao
respondetur huic rationi; sed quia alicui videri poterit
rationi non plene satisfieri, addere auctoritatem multo-
rum, ut Covarr. Manu. Gutier. aliorumque apud cita-
tos, asserentium ejusmodi matrimonium nullum esse, non
puto improbabilem ipsorum opinionem.

4. Brucina, de matr. quæst. 3. p. 8. à num. 10. alique
nonnulli, ut Coninch. disp. 82. §. 1. num. 15. apud Sanchi.
& Castro P. cit. distinguunt in hunc modum: Ejusmodi
metus gravis jussu aliquando incutitur ad alios fines, ali-
quando ad extorquendum matrimonium, V. G. habet
Cajus jus accusandi Titium ob injuriam sibi illatam per
furtum mille aureorum; potest tunc Cajus metum accu-
sationis incutere Titio ad extorquendos mille aureos, di-
cens: Redde mihi aureos, secus te accusabo, at non potest
licite dictum accusationis metum incutere ad extorquen-
dum matrimonium, sic dicens: Duc meam filiam secus te
accusabo. Ratio est, inquit quia hic metus injuste in-
cutitur ad hunc finem matrimonii, cum ipsius libertati
repugnet: at vero ad finem extorquendi aureos jussu
incutitur, quia ad eos recuperandos utitur Cajus mo-

do licite accusationis. Pari modo si Index minetur car-
cerem Petri suppositori Virginis, nisi illam ducat, vel
dotes, tunc licite (ajunt,) & jussu Index carcerationis
metum incutit ad extorquendum matrimonium, quia
suppositor tenetur secundum leges illud celebrare.

5. Sed nos præsumimus in utroque casu, & exemplo
esse validum. Ita Castro P. 1. tr. 2. d. 1. p. 7. num. 2. de
Lugo cit. d. just. d. 22. sect. 7. num. 60. Ratio est, quia in
utroque abest injustitia, & coactio. In iudice jam spon-
te conceditur in alio probatur; quia tunc Cajus non se
illicite gerit, nam si recte, & attente res expendatur,
Cajus non minatur accusationem; quia Titium absolu-
te nullo modo cogit, sed solum sub conditione propo-
nit ipsi Titio, ut, si velit evitare accusationem, cui ipse
causam libere dedit, & quam sine peccato deferre Cajus
potest, sibi libere ducat. Non tamen interim nego
propter extrinsecam Doctorem auctoritatem, atque co-
rundem non contemnendam rationem posse Bonacina
opinionem probabilem reputari. Vide Tancredum con-
tra Pontium lib. 4. de matrim. l. 2.

Alii actus ex metu jussu incussu.

6. Alii quicunque actus ex metu jussu quomodo-
cunque incussu valent, si enim, validi sunt contra-
ctus, & matrimonia, multo magis ceteri actus, qui
pauciores, infortiusque conditiones requirunt, & ex alia
parte satis sunt voluntarii, ut suo loco supra, universe
conclusimus.

§. VIII. Quid operetur metus sive gravis, sive
levis in votis etiam solemnibus, qualis est
professio in Religione.

1. Instituo peculiarem de hac re brevem questionem,
quia suis peculiaribus scaturit difficultatibus.

Qui aliqui Deo voverunt motus timore periculi pro-
venientis ex causa non libera, ex periculo, V. G. quod
infertur ex tempestate, ex morbo, &c. dicitur vovere
ob metum incussu ab intrinseco: qui motus timore pe-
riculi quod infertur à causa libera, V. G. à Latrone, à
Iudice, &c. dicitur vovere ob metum incussu ab ex-
trinseco.

2. Jam si metus levis, vel gravis sive jussu, sive in-
jussu, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco non incussus
sit ad sistendum extorquendi votum, certum est nihil officere
validitati voti: votum ergo erit, & obligabit. Ita can-
chez lib. 4. de dec. c. 3. num. 4. Castro P. tom. 3. de voto, d. 1.
p. 5. num. 2. Ratio est, quia tunc à nemine impellitur vo-
vens, sed sponte sua illud eligit, tanquam remedium
imminenti mali, hoc reduitur quando elicitur votum,
tanquam conditio oblata ad malum evitandum, de qua
re videatur Sanchez ibid. num. 5. & lib. 4. de matrim. d. 12.
num. 12.

3. At vero metus gravis injuste ad extorquendum
votum ab aliquo incussus, illud sive simplex, sive solem-
ne professionis invalidum reddit, saltem ex jure positivo
& per aliquos, etiam ex jure naturæ, unde, ut non serve-
tur, relaxatione nequaquam eget. Sic Sanchez, lib. 4. in
Decalog. cap. 3. num. 12. Sotus, Abbas, Navarrus, Arg. To-
let. Sa. alique ibid. cit. Ratio est, quia ex una parte votum
describitur esse spontaneum Dei obsequium, unde ory-
nino voluntarium esse convenit, & ex alia parte irritum
esse votum sic emissum declaratum est ab Ecclesia. Ita
Sotus alique apud eundem Sanchez l. c. num. 6. & apud
Castro P. tom. 3. d. 1. de voto part. 5. num. 6.

4. Hinc merito deducunt aliqui, ut Navarr. Sa, To-
let. alique cum Sanch. lib. 4. in Decalog. cap. 3. num. 12. initia-
tum Ordine Sacro metu viri constantis, non teneri Vo-
to Castitatis ordini annexo, atque ita posse sine ulla
dispensatione ad nuptias transire, si nolit in Ordinis
Sacri usu permanere: sic Sanchez, d. cap. 3. c. 18. movent
tamen, si cessante metu, vel semel eo ordine usus sit, quod
nequeat resiliire: quia usus ille est ordinis ratificatio:

ratificatio